

uina mitigant. At hercule illic tellus fruges parere ui debatur. Heu mira uitiorum solertia, inuentū est quē admodū aqua quoq; inebriaret. Duo sūt liquores corporibus humanis gratissimi, vitus uini, foris olei, arborū ē genere ambo præcipui, sed olei necessarius. Nec segniter uita in eo elaborauit. Quanto tamen in potu ingeniosior apparebit, ad bibendum generibus centū nonagintaquinq; si species uero aestimentur, pene duplici numero excogitatis, tantoque paucioribus olei: De quo in sequenti uolumine dicemus.

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIAE
LIBER XV.

Naturæ frugiferarum arborum. CAP. I.



QUAEAM Theophrastus ē celeberrimis Græcorū autoribus urbis Romæ anno circiter quadringentesimoquadagesimo, negauit nisi intra xl. M. passuum à mari nasci: Fenestella uero omnino nō fuisse in Italia, Hispania, atq; Africa, Tarquinio Priusco regnante, ab annis populi Rom. clxxxij. quæ nūc peruenit trans Alpes quoque, & in Gallias, Hispaniasque medias. Urbis quidem anno quingentesimoquinto, Appio Claudio Cæci nepote, L. Iunio C. O. S. S. olei libræ duodenæ assibus uenire. Et mox anno sexcentesimo octogesimo, M. Seius L. F. ædilis curulis olei denas libras singulis assibus præstitit populo Romano per totum annum. Minus ea uiretur, qui sciat post annos xxij. Cn. Pompeij iij. consulatu oleum prouincijs Italiam misisse. Hesiodus quoq; in primis cultum agrorum docendam arbitratus uitam, negauit oleæ satorem fructum ex ea percepisse quenq;. Tam tarda tunc res erat. At nunc etiā in plantarijs serūt, translatarumq; altero anno decerpuntur bacca. Fabianus negat prouenire in frigidissimis oleam, neq; in calidissimis. Genera earum tria dixit Virgilius, orchites, & radios, et pausias. Nec desiderare rastro aut falcem, nullamue curam. Sine dubio & in ijs solum maxime calumq; refert. Veruntamen & tondentur, cum & vitæ, atq; etiam interradi gaudent. Consequens earum uindemia est, arsq; uel maior, oleum q; musta temperandi. Ex eadem quippe oliua differunt succi. Primū omnium cruda, atq; nondum inchoata maturitatis, hoc sapore præstantissimo. Quin et ex ea prima unda præli laudatissima, ac deinde per diminutiones, siue (ut nuper inuentum est) exilibus regulis pede incluso. Quanto maturior bacca, tanto pinguior succus, minusque gratus. Optima autem ætas ad decerpendum inter copiam bonitatemque, incipiente bacca nigrescere. Nostri nocāt drupas, Græci uero drypetas. Cætero distat, an maturitas illa in torcularibus fiat, an ramis: rigua fuerit arbor, an suo tātum bacca succo, nihilq; aliud quàm rōres celi biberit.

De oleo.

CAP. II.

VETUSTAS oleo tadium affert, nō itē ut uino, plurimūq; ætatis annuo est, prouida (si libeat intelligere) natura, quippe temulētia nascentibus uinis, uti necesse nō est: quinimo iuitat ad seruādū blanda inueterati caries. Oleo noluit parci, fecitq; ea necessitate promiscuū et uulgo. Principatum in hoc quoq; bono obtinuit Italia toto orbe, maxime agrō Venafano, eiusq; parte quæ Licinianū fundit oleum: unde & Licinia gloria præcipua oliuæ. Vngueta hæc palmā dedere, accommodato ipsis odore. Dedit et palatum delatiore sententia. De cætero baccas Liciniæ nulla auis appetit. Reliquū certamē inter Istria terrā & Batica par est. Vicina bonitas prouincijs, excepto Africa frugifero solo. Cereri totum id natura concessit, oleum ac uinū non inuidit tantū, satisq; gloria in messibus fecit. Reliqua erroris plena, quem in nulla parte uita numerosiore esse docebimus.

De natura oliuæ, & oleæ incipiētis. CAP. III.

OLIUÆ constant nucleo, oleo, carne, amurca. Sannies hæc est eius amara. Fit ex aquis, ideo siccatibus minima, riguis copiosa. Suus quidē oliuæ succus oleū est, idq; præcipue ex imaturis intelligimus, sicut de omphacio docuimus. Augetur oleum ab Arcturi exortu ad xvi. calēdas Octob. postea nuclei increscunt & caro. Cū sitienti imbres copiosi accessere, uitiatur oleum in amurcam. Huius color oliuā cogit nigrescere. Ideoque incipiente nigritia minimum amurcæ, ante eam nihil. Et error hominum falsus, existimātium maturitatis initium, quod est uitij proximū. Deinde quod oleum crescere oliuæ carne arbitramur, cum succus oīs in corpus abeat, lignumq; intus grandescat. Ergo tū maxime rigatur. Quod ubi cura multa siue imbribus accidit, oleum absumitur, nisi consecuta serenitate quæ corpus extenuet. Omnino enim, ut Theophrasto placet, est olei causa calor, quare & in torcularibus & iam in cellis multo igne queritur. Tertia est culpa in parsimonia, quoniam propter impendium decerpēdi expectatur, ut decidat oliua. Qui medium temperamentum in hoc seruant, perticis decutiunt, cum iniuria arborū, sequentisque anni damno. Quippe oliuantibus lex antiquissima fuit: Oleam ne stringito, nēue uerberato. Qui cautissime agunt, haurundine leui iētū, nec aduersos percutiunt ramos. Sic quoq; alternare fructus cogitur, decussis germinibus. Nec minus, si expectetur ut cadat. Herendo enim ultra suum tempus, absumunt uenientibus alimentum, & detinent locum. Argumentum est, qd nisi ante fauonium collecta, nouas uires resumunt & difficilius cadūt. Prima ergo ab autūno colligitur, uitio operæ non naturæ, pausia cui plurimum carnis: mox orchites, cui olei: post radius. Has enim ocysime occupatas, quia sunt tenerrimæ, amurca cogit decidere. Differunt uero etiā in Martium mēsem callose, contra humorem pugnaces, ob idq; minime, Licinia, Comina, Contia, Sergia, quam Sabini regiam uocant, nou ante

ante